... Oratio a. 1616 habita.

# ORATIO
## AB ELOQVENTIÆ PROFESSORE
RECENTI EAQVE INSIGNI LIBERALITATE
PER ILLVSTRISS: ET REVERENDISS:
GLORIOSISSIMÆ RECORDATIONIS
## D. PETRVM TYLICKI
EPISCOPVM CRACOVIENSEM
MATRI SVÆ BENIGNISS. ACAD: CRAC.
&
GENEROSÆ IVVENTVTI POLONÆ,
QVÆ IN SPEM PATRIÆ ET ECCLESIÆ DEI CRESCERET,
PERPETVIS TEMPORIBVS DONATO
ET INSERTO:
Interim M. SIMONE HALICIO MAIO: COLL: PROFES.
A. D. M. DC. XVI. DIE CÆCILIÆ VIRGINI
& MARTYRI SACRO:
FREQVENTISSIMIS IISQ; ORNATISSIMIS AVDITORIBVS
IN DOMO MAGNI REGIS
WLADISLAI IAGELLONIS
IN LECTORIO DD. THEOLOGORVM
HABITA.

---

CRACOVIAE, *In Typogr. Lazari, apud Matt: Andreouien.*
*Anno Domini*, 1617.

# SYMBOLA ECCLESIÆ CRACOVIENSIS.





*ROmanum obtuitus Cyneas aliquando Senatum,*
*Compositum dixit Regibus esse viris.*
*Hæc est ô Patres vestri quoque forma Senatus;*
*Quisquis non credis, regia signa vide.*

IOANNES SIENIENSKI.
Eloqu: Stud.

Amplissimo & Rñdissimo

# CATHEDRALIS ECCLESIÆ CRACOVIEN. CAPITVLO.

## DOMINIS D. & PATRONIS SVIS OPTIMIS.

## M. SIMON HALICIVS S. P.

IN *Vestræ fidei atque sapientiæ autoritate; VIRI AMPLISS: posuit Oratori suo præsidium dignus qui nunquã moreretur* TYLICIVS. *Hæc erat quâ rerum vsu, quâ disciplinarum Sole percocti iudicij præclara de augustissimo* CRACOVIENSI CAPITVLO *sententia. Accepistis boni & sapientis Episcopi honorificum ordini Vestro testimonium & affectum. Nempe stimulus erat* VOBIS *magnus & perquàm honestus, ipsa in* ACADEMIAM CRACOVIENSEM, *& ciuiles istas in eâ literas, propensissima voluntas. Et quis hoc non collegerit, vel ex illius inusitatâ diei claritate, quo meæ professionis initia dignitatis Vestræ splendore illustrâstis? Illa enim lectissimorum hominum vndiquaq; confluens frequentia, illi animi in vota, preces, laudationes amantissimi Reipub: Senatoris* TYLICII *soluti,* VOBIS *tanquam propositis ad imitandum spectatissimis exemplis sunt attribuendi. Quò enim se principum virorum fauor inclinat, eò cætera sequi solet multitudo. Tulistis repentè facti Oratoris, quæ Vestra fuit humanitas, infantiã: quid mirum si incidentes audientium nubeculæ ex Vestri vultus amœnissima*



iucun-

iucunditate capiebant serenitatem? Meriti res ista non fuit mei: sed in TYLICIVM, & in elegantioris disciplinæ studia constantissimi amoris & fauoris argumentum. Quod etsi solum veræ laudis immortalitatem afferat viris summo loco positis: ego tamen hanc egregiam animi significationem in ACADEMIAM nostram, beneficij maximi loco numero. Atque cum turpe existimem, eloquentiæ Professorem velle silentio gratum videri: cum illis ipsis primitijs quarum spectatores & approbatores fuistis ad VOS PATRONOS meos magnos venio. Ita suaserunt amici; ita voluit meorum Maiorum auctoritas: vt & beneficij TYLICIANI, & mei erga VOS cultus deuotissimi aliquod, etiam apud eos qui victuri sunt, extaret vestigiū. Scio ferax esse Aristarchorum istud seculum, præsertim in eam artem, cuius est infælicitatis, omnium audire & coquere iudicia. Apelli enim licet dicere: Ne sutor vltra crepidam: at CICERO ipse vel Demosthenes cuiusuis liberiorem ex plebe admonitionem ferre debet. In causa est, quòd de aliorū operis eius tantummodò artis periti iudicare solent: in Oratoris opus etiam inconstantissimi vulgi se extendit imperium. Nec tamen ideo concido animo: ea est enim nominis vestri maiestas & amplitudo, vt eam nullus diffidens sibi liuor, nullaue improbitatis insania audeat appetere. Sub huius patrocinium ego cum isto primigenio confugio, quaque possum animi summissione à VOBIS VIRI AMPLISSIMI peto, vt quem semel tuendum atque ornandum suscepistis; eum à Vestræ beneuolentiæ portu securissimo nolitis excludere. Fateor, vt est natura principiorum, hæc quoque mea esse rudiuscula: at pro Vestrâ facilitate atque prudentiâ, etiam simplici Orationis cultu vestitum TYLICIVM splendere putabitis: memores & in agresti laciniâ augustiorem animi habitum bene apparere. Viuet hoc in me cum cæteris Vestris singularibus beneficiis, quæ ego reuerenti obsequio & memoriâ colere statui sempiternâ. Datæ Crac: ex Collegio Maiorum Professorū. VIII. Calend. Maij. Anni 1617.

# ORATIO.

FECISSET vtinam ſupremus ille rerum omnium effector & moderator Deus, AVDITORES: vt præſentem potiùs in hoc veſtro conſeſſu ampliſſimo, ſacerdos Epiſcopum, Academicus Cancellarium, opinione eloquentiæ cõmendatus, virum dicendi laude præſtantiſſimum, ſolennibus gratiis exciperem: & non ereptæ ex oculis auguſtiſſimæ virtuti, ac ſingulari in nos beneuolentiæ, tam ſolicitè iuſtiſſimum gratæ recordationis obſequiũ quærerem. Quod enim optandum erat maximè, quodq́; vnũ ád ſplendorem & dignitatem ordinis Academici, & ampliſſimæ huius Reipub: proprium ornamentum pertinebat: id optimi Antiſtitis diuina virtus, altiori quodam conſilio excitata, ſummâ cum voluptate omnium noſtrûm perfeciſſe videtur. Mirabamur quid eſſet, quòd in tantâ Philoſophorum, Iureperitorum, Theologorũ, & cæterorum clariſſimorum virorum copiâ, quorum eruditio & virtus incurrit in lucem omnium: iam Principes è Rep: viri, iam nobiliſſimi quiq; ex loco equeſtri, vel veterem quærerẽt, vel modernis temporibus commodiorẽ expeterent Acade-

miam. Nullus iam his sermonibus relictus est locus, sublata omnis cõquerendi occasio: postquã admirabilis TYLICII sapiẽtia, & viro magnifico digna liberalitas, vniuersam Polonorũ ciuitatẽ ad benè sperãdũ ita vehemẽter excitauit. Cùm enim acutissimè perspiceret animus ille, & pręstantissimarũ scientiarũ copiâ refertus, & plurimo rerum maximarũ vsu perpolitus; rudem & indoctum ciuem haberi in Polonia: quantumuis celeriter inueniat, vel acriter videat, aut subtiliter distinguat, nisi sub lingua & calamo fuerit (vt dicitur) Mercurius: Eam præterea esse temporũ conditionem, vt ibi maximè impendatur labor & periculum, vnde emolumentum atq; honos speretur: nouâ & antehac nostræ tenuitati inauditâ præmij magnitudine, ad publicum decus excitare voluit virtutẽ in arte dicendi peritorum. Effudit benignissimum suarum fortunarum sinum in Academiam; vt quà in lãguorem & obscuritatem ire dicebatur, occurreret procreatrici olim suæ charissimæ gratissimus filius: & seminarium vtriusq; Reipub: earum literarum, quę ciuem liberaliter, sacerdotẽ piè instituerent, optimus ipse Ciuis, & Sacerdos confirmaret. Sic iam nouâ disertissimorum virorum accessione gloriabitur Academia:

demia: & nobilioris iuuentutis flos, domi, forisque publicam rem faciet ſplendidiorem. Huius tam excellentis boni primo fructu, vel aliquo ſolùm grati animi teſtimonio, vtinam illam mentem adeò excelſam & beneficam in hoc veſtro conſpectu iucundiſſimo præſentem recreaſſemus: adhuc benigniori diuinę bonitatis oculo res noſtras aſpici crederemus. Nunc inter tot tamque grauia viri poſt hominum memoriam laudatiſſimi deſideria, quæ poteſt à me par inueniri oratio? Tantum enim pietatis ardorem, tam inuſitatum atque incredibile propagandæ religionis Catholicæ ſtudiũ, tam inſignem quotannis in egenos beneficentiam, tam raram in maximis negotiis cum dignitate Reipub: agendis dexteritatem, in ſummis honoribus moderationem, tam denique incredibilem ſapientiam, animi magnitudinem, quæ orationis vbertas, quæué tam fælix verborum copia, aut dicendi maieſtas, vel imitari conabitur? Crediderim ego pleniora magnorum ingeniorum flumina, in explicandis præſtantiſſimis huius viri actionibus ſuam ariditatem deploratura; licet toto vitæ ſuæ tempore, pertinaci ſtudio, & continuâ ſcribendi agendiq; exercitatione ad eloquen-

tiæ fa-

tiæ faſtigium euadere contenderint. Mihi vero repentè ex Philoſophorum tabernaculis, in iſtum dignitatis veſtræ ſolem venienti: cum tantâ noui oratoris expectatione, cum adeò graui iudicijs eruditiſſimorum virorum reſpondendi neceſſitate, quanto periculo dicēdum ſit, rectè intelligo. Silere quomodo poſſum, vbi video tot in me oculos & ora cōijci: & quod maius eſt, Academiam meritorum pulchritudine ſuperari? Audere non audeo, audendi enim facultatem terret certiſſima inſolentiæ ſuſpicio. Sed vocet quis vel inconſultam rationem, vel ſi malit craſſiori verbo, temeritatem: quòd cogitem aliquid de tam ſublimi argumento apud viros adeò limati, & perfecti iudicij dicere: ego eius opinioni non repugno, illud profiteor, me in quoduis horum incidere, quàm ſordidæ ingratitudini ſuſpicionem dare, vel maiorum voluntati non parere maluiſſe. Quid ita obſecro inhumanum, immane, aut ferum poteſt exiſtimari, quàm ſponte occurrentem optimi Principis liberalitatem non excipere? vel quid ita impium, aut nefarium, quàm ab eorum mentibus diſſidere; quos vitæ, commodorum, ornamentorūq; omnium autores, & amplificatores habueris? Sumo igi-

mo igitur, Patres mei, veſtrâ incitatus voluntate,
armatus autoritate, hanc Oratoris excellentē per-
ſonam: populari quidem opinione ſplendidam, at
eruditorum ſententijs laborioſam. Recipio nutus,
arbitria, voluntates omnium: nihil iam dico de in-
genij aut valetudinis meæ imbecillitate: non que-
ror de exercitationis in dicendo diuturnâ intermiſ-
ſione; non affero deniq; incredibile latendi potiùs,
quàm ad aliquam hominum famam profluendi
deſiderium: feror totus in admirationem heroici
in optimas literas animi Maximi TYLICII. Veſtra
me adoleſcentem ſingularis excepit humanitas,
veſtra iuuenem formauit diſciplina: vos virum for-
tunis, honoribus, & quidquid maximum vobis
erat ornâſtis: veſter in celebrandâ atq; propagandâ
illuſtri voluntate clariſſimi iſtius Senatoris, quan-
tus quantus ſum, eſſe volo. Creſcit animus ex his
Cracouienſis Eccleſiæ ſplendidiſſimis luminibus,
ex hac pulcherrimâ Epiſcoporū atque Senatorum
origine, quæ me à vobis acceptum in hoc honeſtiſ-
ſimo loco, beneuolentiſſimis ſuffragijs, atque ho-
norificentiſſimis teſtimonijs confirmauit, & illu-
ſtrauit. Apud hos viros, quorum ita ſingularem

perſpicio beneuolentiam: quique vt alias virtutes ſui Epiſcopi, ita pium in Academiam affectum ardentiſſimè cupiũt exprimere: quid ego potero dicere, quod illorum aures perhorreſcant? ſi omnes de amico, vel patrono quantumuis rudes, & inſuaues narrationes; politæ, & iucundæ vidẽtur amantibus. Hoc vnum oro, ne interim à me illam rerum geſtarum celebritatem exegeritis, quam poſteritas alat, æternitas intueatur, quæq; orationis maieſtate exterarum gẽtium aures & animos contrectet: hoc enim neq; vnius horæ anguſtijs, nec in iſtis naſcẽtis eloquentiæ principijs poteſt explicari. Date id potiùs creſcentibus ingenijs, inualeſcenti orationis vi, florentibus breui tempore bonis oratoribus: qui vltra huius ampliſſimi imperij terminos, vltra florentiſſimos alios populos diffundent fragrantiſſimum gloriæ TYLICIANÆ odorem. Nos interim gratiæ referendæ ſumamus exordium ab admiratione magnitudinis animi illius, cùm in alijs egregiè factis; cùm in hac artis dicendi in Academiâ noſtrâ ſplendidiori collocatione. Non puto indignam fore Veſtris auribus materiam, qui recordatione chariſſimi capitis Veſtri nihil habe-

tis iu-

tis iucundius: quiq; in istâ sublimioris vitæ dignitate collocati nihil ijs literis quas amauit TYLICIVS, geritis expressius. Velitis modò istis beneuolentiæ indicibus, luminibus (inquam) oculorum Vestrorum serenissimis, meæ orationis temperare nauigationem; per ipsam Vos bonitatem, & istius Vestræ dignitatis pulcherrimũ decus obtestor, & oro.

Solent sæpenumero eloquentiæ laude præstantes viri, principia suarum laudationum virtuti generis, robori, formæ, dignitati, amicorum claritati ac multitudini, & si quæ alia in precio habentur consecrare: omnemq́; maiorem dicendi vim in huiusmodi rebus cõmemorandis cum quadã præstantioris ingenij ostentatione explicare: Res enim domi forisq́; gestas, fortissimorum ciuium, potentissimorum Regum, sapientissimorum Imperatorum, omne deniq; decus ac dignitatem fortunatissimarum Rerumpub: ab hoc vno oriri principio, ex communi omnium populorum consensu, & diuturnis hominũ moribus optimè didicerũt. Mittamus peregrina; nostra hæc Patria nunquam ex rebus bellicis & ciuilibus tantã collegisset gloriam, nisi à parentibus nobilissimis, cum sanguine instil-

lata, & à diuinis laudum præconibus excitata generosi cuiusq; virtus: primam illam lucem, splendidissimo factorum lumine propagare atq; cohonestare pulchrũ existimasset. Dum verò audiunt magnâ indole præditi adolescentes, se non tam fortunarum, quàm actionum clarissimorũ progenitorum hæredes esse debere: nihilque ita probro haberi, vt inter tot spectatissimas maiorũ imagines degenerẽ esse: legem sibi indicunt innocẽtiæ, continentiæ, virtutumque omnium: neq; iam solùm honestè, sed & gloriosè cum præstantiâ aliorum laudatissimorum virorum viuere desiderant. Quid mirùm, si omnes boni nobilitati generis fauent, & in eâ ornandâ tantum studij aut operæ collocant: si nemo hæc præclara siue naturæ, siue fortunæ ornamẽta; nisi improbus, & apertè insanus sit, contemnat? Magnum sanè est nobili loco oriũdum esse: sed tamen sunt alia longè maiora. Nam generis clari amplitudinem; multi etiam nobilissimorum Philosophorum solent extenuare verbis, eamq; detrahere posteritati: quòd maximè ridiculum sit, in homine laudare aliena, & quæ in alium etiam sceleratissimum transferri possunt. At verò maiori quodam

splen-

ſplendore animi conſpici, ad dignitatem referre omnia, ſine quâ nihil vnquam homini libero eſt expetendum in vitâ, præſentes fructus negligere, poſteritati & gloriæ ſeruire, id optimum, quod rectiſſimum ſit, putare, corpus hoc ex elementis corruptioni continuę obnoxijs cõpoſitum, etiam maximorum Principum eſſe mortale, animi verò motum, & virtutis gloriam immortalem cogitare; hoc demùm eſt ſapere, frui anima, & glorioſæ vitæ altiſſimas radices agere, cuius laurea nullâ temporum diuturnitate ſuam eſt amiſſura viriditatem. His multò inſignioribus bonis, cùm vſq; in admirationem venerit noſter TYLICIVS, non miremur in eo illa, quæ vel alienæ innituntur gloriæ, vel in ipſo externo ſplendore conſiſtunt. Fruſtra enim corporis quæruntur ſimulachra, vbi inſignis aliqua imago animi apparuit. Quis dubitet eum generoſiſſimis ortum maioribus, in quo tam ſingularia ad vitam cum dignitate agendam præſidia extiterunt? quique propriâ virtute ac induſtriâ perfecit; vt cùm eſſet nobiliſſimi equitis filius, ſummâ honoris amplitudine, in Regno hoc, viris fortiſſimis & ſapientiſſimis florentiſſimo, & grauiſſimi Se-

 natus

natus auctoritate, & Regum gloriosissimorum iudicijs dignus putaretur. Omittamus igitur de genere dicere, quod & recentissimorum hominum sermo, & annalium vetustas probat fuisse semper domesticâ laude celebratissimum. Illud potiùs augustioris animi decus, illam mentis excelsitatem, quæ se amplissimo quoque honore dignam existimat, intueamur. Hæc enim, vt cæterarum omnium virtutum splendidissimum ornamentum, & quasi pulcherrima varijs ijsque preciosissimis honestatis vnionibus insignita corona, effulsit in capite summi istius ad conseruandam Rempubl: nati hominis. Nam vt primùm intellexit è viris in Rep: primarijs, rarissimas illas ingenij & eruditionis opes, quas Deus præpotens ad iuuandos & tutandos alios in se liberaliter effuderat, summo honore dignas cēseri: magno & forti animo cōtempsit caduca hæc & fragilia puerilibusque consentanea crepundijs bona: cumque posset ociosam, & quietam ætatem, sine vllo labore & contentione traducere, maluit laboribus, vigiliis, periculis, vitæ deniq; ipsius dimicatione ad summam laudē contendere. Illum verò inprimis suarum contentio-

num

num ſpectatorem eſſe cupiebat, à quo in hanc ſtationem vitæ, cum excellentiſsimis & ingenij & animi facultatibus miſſus eſt: vt eum propagatione boni communis imitando, pio gratitudinis cultu veneraretur. Ita cæteri optimorū factorum exemplo, ad ſimilem venerationis ardorem excitabantur; ipſa verò gratiſſima poſteritatis memoria, in cuius etiam nunc iucūdiſſimâ luce feliciſſimus quieſcit, ſponte ſequebatur. Erat illi & alia in Rempublicam veniendi occaſio. Videbat fortè vitium contra virtutem ferri vehementiori quodam impetu, pluréſque communem ſibi adminiſtrationem arrogare, qui diuitias, voluptatem, honores, ſaluti & dignitati vniuerſorum præponerent: bonos ciues cunctatione, & tarditate ſua, de integritate, & ſplendore publico aliquantulum deterere. Itaque ne improbitas tumore laudis falſiſſimæ inſoleſceret, aut virtus ſuam æſtimationem amitteret; acceſſit ad latus ſapientiſſimorum & optimorum ciuitatis cuſtodum, vt arte regendi hanc magnam nauem meliùs inſtructus, oſtenderet inſtar periti artificis cæteris ineptè ambientibus, vel vti ignorantibus: quis eſſet vſus, conditio, ſtudium, pon-

dus,

dus, autoritas, ciuis in Rep. Cæterùm quia sciebat honorem esse externum signum excellentis alicuius probitatis; non existimauit properandum esse ad præmia, quæ non nisi bene cognitæ, maturæq́; virtuti debentur: ne fortè leuissimo gloriæ vento inflatus, ardorem in patriam extingueret, sitiq́ue ante debitum tempus expletâ, priùs fastidire, quàm esurire verum decus condisceret. Grauiori iam & constantiori ætate, post numerata in bellis stipendia, post depositum gloriosę fortitudinis apud magnos imperatores balteum, deniq; post deditum & consecratum ipsi Deo animum, inflammatus ardentiori quodam studio ad prosequēdum honestū, ingressus est in Remp: vt aliquo pręmio quasi pignore obligatus, faceret suæ virtuti aditum ad immortalitatem. Nec diu id fuit expectandum: magnus enim Rex STEPHANVS, vt erat virorum speculator diligētissimus, statim illud ingenij & iudicij splēdidioris lumen aspexit, atque in proximo ad summos honores aditu virum posuit, magniq́; Secretarij Regni honorificētissimo munere cohonestauit. Quo cōfirmatum nobilissimum pectus, hoc vnum agere, cogitare, moliri, somniare cœpit: vt illustrio-

ribus

ribus quotidie factis opinionē de se cōceptam vinceret. Amare Patriam vehementiùs, Regem colere illustriùs, vberiorem Senatui spem polliceri, multitudinis oculos acriores in se vertere, sui putauit esse officij. Iam illis animorū pabuli depopulatricibus, quæ nostram primam patriam, hoc est, mētis bona comedunt, rationem exuunt, lumen iudicij excæcant, ne aspectum quidem ex longiori loco cōcedit: & quorum venena nouerat non attigerat, eorum etiam nomen detestatur & perhorrescit. Frequens in ore ipsius erat vox: Currēti ad gloriā impetu honesto, nihil debere esse cōmercij cum languore mentis, aut aliqua corporis oblectatione; nihil cum intemperantiâ ei, qui arcana nō Cereris Eleusinæ, sed amplissimæ Polonorum Reipub: concredita haberet. Atque vt Pericles Atheniensium toties purpuratum honorem cōcutiens in memoriam publici decoris veniebat: ita TYLICIVS primam illam honoris imaginem studiosè contemplatus, admonebatur, ne quid citra dignitatem faceret: imò excitabatur, vt pro eâ illustrandâ, tueri libertatem, salutem, vitam ciuium non desisteret. Iudicio maximi prędecessoris sui commendatam,



& sibi

& ſibi in rebus difficilimis cognitam virtutem complexus SIGISMVNDVS Rex, altiori loco dignam iudicat: quæ in grauiſſimo & moleſtiſſimo Secretarij munere, tantam ſibi apud omnes beneuolentiam, laudem, admirationem pepererat. Vocatur itaq; cum luculentâ meritorum ſuorum cōmēdatione, aut potiùs trahitur inuitus in ampliorem bene merendi campum, in Senatoriȩ nimirū dignitatis auguſtiſſimum Collegium: renunciatur Culmenſis Epiſcopus: fit ingens omnis generis, ordinis hominum plauſus; & acclamatio. Quæ tum animo illi fax appoſita? quæ cogitatio ſanctioris vitæ iniecta? qui ſtimuli ad maiorem gloriam ex pulcherrimis in Rep: actionibus comparandam ſubditi? Eſt quidem ſplendidiſſimum, virtuti, fidei, fȩlicitati alicuius commendari Remp: at curis, ſolicitudinibus, moleſtijs, obtrectationibus vulgi, calamitatibus, pleniſſimum, vt Senator Romanus, magnificum imperij nomen, & ſuperbam pompam lictorum, paruis aliquando Italiæ latebris optaret commutare. Quid in Eccleſiȩ ſpeculâ conſtitui? quàm periculoſum? præſertim in eâ, in quâ tot fortes & magni viri rerum maxima-

rum

rum principia cum tot difficultatibus posuerunt. Magno hîc animo fuit opus ingredienti ad summos honores: exerit eum vir fortissimus. Omnium suorum consiliorum & actionum exempla, ex summorum inprimis hominum factis censet esse petenda; pietatis, iustitiæ, fortitudinis, prudentiæ, amoris ciuium, in magnâ fortunâ humanitatis; & aliarum virtutum, non se iam cultorem, aut amatorem profitetur; at custodem, vindicem, propugnatorem, fidelissimum, acerrimum, constantissimum protestatur: vt suo exemplo, ciues in maximis opibus continentiam, in summ is honoribus legum æqualitatem colant, discantq́; comprimendas esse libidines, extirpandam lucri cupiditatem, pellendam luxuriam, ponendas simultates, donandas inimicitias, vt sancta seruetur Reipub. societas. Videt & cum Episcopatus honore venisse nouum angorem vigilantiæ, atq; custodiæ ciuium, non Romanorum aut Atheniensium; at splendidissimæ illius Hierusalem adscribendorum ciuitati: quos ipse summus mundi Princeps proprio quæsiuit sanguine. Hîc iam vitium est non esse optimum, vitæ innocentiâ & doctrinæ

præſtantiâ non lucere, impium: propria potiùs lucra, quàm ea quæ Christi ſunt, per ſuſcepti muneris gratiam conſectari, ſacrilegium. Neque hîc animo cadit, multùm ſibi de illius gratiâ, qui virtutes excellentiores ex infirmitate nouit producere, pollicitus: tuetur ſe, domumq; ſuam ab omni peccati labe: humilitatis profundiùs iacit fundamenta, amoris ignem in Deum, in gregem colligit luculentiorem. Nec ſatis putat morum ſanctitate, ſapientiæ ſplendore, commiſſas oues ad virtutem incitare, aut maculas, vlcera, contagia, ſummâ diligentiâ tollere; imponit ſibi neceſſitatem perpetuò in omni honeſtate atq; virtute proficiendi, neq; propoſitâ etiam pœnâ, inuidiâ, morte, ab eo, quod omnium ſalutem, Eccleſiæ dignitatem, Dei gloriam ſpectet, recedendi. Quæ omnia mox in vitæ eius actionibus pulcherrimè effulſerunt: nam & domeſtici beatiſſimos ſe fore putabant, ſi ſecum quàm diutiſſimè commoraretur, & proximi piâ æmulatione, tam bonum Epiſcopum Culmæ inuidebãt. Non enim Eccleſia ab eo quidquam deſiderauit, non ſenatoria dignitas vllâ re diminuta aut obſcurata eſt: gaudebat Cathedra Epiſcopo,

clerus

clerus patrono: nobilitas, vniuersaq́; Culmensium prouincia, tam fidelem, diligētem, benignum præsulem venerabatur. Sola religionis nouæ impostorum turba ingenti animi metu trepidabat, ne fortè auersam nuper callidissimis insidijs nobilissimam prædam, turpissimè dimittere cogeretur. Neq; hic metus illius erat inanis: vt enim in aspectum pastoris venit insolitus Ecclesiarum squalor; iniuriarum contumeliarumq́; à furiosissimis hominibus illatarum magnitudo: consurrexit iusto dolore cōcitatus animus, perq́; omnes aduersariorum dolos & fraudes viam sibi muniuit ad gloriosos ex libertatis Ecclesiasticæ vindicatione triumphos. Immittit primùm acerrimi ingenij lectissimos iuuenes in seminaria, artibus, exercitationibusq́; pietatis, continentiæ, diuinarum literarum, instructissima: quos deinde confirmatos & bene exercitos per diuersos Episcopæ suæ locos in excubijs & statione collocaret. Ipse interim acceptis aliquot veteranorum turmis, ex proximo quoq; doctissimorum Theologorum Collegio, iustum bellum in pace suspectâ quærit: mores, vitam, religionis puritatem lustrat diligentissimè per suam dioece-

 sim.

ſim. Vix hoſtis aduentantem ſubodoratus eſt, fugit in denſiſſimas tenebrarum Saxonicarum ſiluas: deſperatâ latibulorum, ſpoliorũq; recuperatione. Deſeruntur belluarum immaniſſimarum ſpelæa, relinquuntur tẽpla noſtrorum, fœdiſſimo (proh dolor) contagio deformata: vincitur temeritas, cadit perfidia, fugatur improbitas, diſſipatur impietas, ligatur conuulſio, infirmitas ſanatur. Quid multis? propè ſexaginta fana nobiliſſima vno aduentu atq; aſpectu tulit glorioſus victor ab iniuſtis poſſeſſoribus, ſine cæde & ſanguine: ſolâ animi prudentiâ, conſtantiâ, legum iudiciorũq; authoritate confirmatus. Iuerunt captiuæ in triũmpho antiquis opibus & potentiâ ſuperbæ ciuitates: quæ fruſtra paulò antè occupatas, peramplas & dote grandi opulentas baſilicas (inſignia piorum Catholicorum maiorum ſuorum monumenta) ſummâ vi & contentione retinere voluerunt. Recepta veteribus dominis omnia, datum inſuper ius domicilij religioſiſſimis hominibus, inductum paſtoris officium, poteſtas docendæ plebis reuocata, Sacramentorum adminiſtratio, & alia ſanctiſſimæ fidei nutrimenta liberè propoſita, ſummâ cum admiratione, imò

ipſo-

ipſorum ob datas manus maximo pudore populorum. Abite ſuperbæ gentilium oleaſtri, cedite laurorum aut apiorum viridantia folia, vileſcant omnes quantumuis magnifici, quantumuis ſplendidi equorum, curruum, ordinumq́; variorum apparatus: rideris & tu effuſa ex vrbibus in gratulationes triumphatorū multitudo. Animę hìc diuinâ ſplendentes immortalitate in opimis ſpolijs habentur, non corporum fragilitas brutis animantibus communis. Sacerdos ſummi veríque Dei inuehitur fulgenti ardentiſſimæ charitatis curru, non aliquis Fabius aut Scipio, eboris aut auri opinione ſtultiſſimè faſcinatus: purpuratam gerit hic frōtem preciosiſſimo Filij Dei ſanguine; non viliſſimi ebuli baccis aut minio fallaciſsimo nitentem: iugum eſt trium equorum generoſiſsimorum, Dei, Eccleſiæ, Patriæ amor, non vnus ignauiſsimus caballus, cuius nomen ingratiſſimum SIBI ſanctam vbiq; diſſoluit ſocietatem: ſpectatores, ductores, gratulatores ſunt potentiſſimæ ac ſapientiſſimæ beatarū mentium legiones; non ignobilis vulgi ſine pondere numerus. Fælices captiui, qui ad vitæ dignioris libertatem præmijs ampliſſimis inuitantur. non

angu-

anguſtiſſimis compedibus trahuntur ad barbaricæ ſeruitutis turpitudinem. His tot tamq́; ſplendidis altiſſimarum virtutum exercitijs percuſſa maleuolentiæ ſeu inuidiæ tabes, non iam in omnium animis liberè, iucundeq́; regnanti viro fortiſſimo, fumum aut caliginem ſubijcere, aut inſidias potuit machinari. Tanta enim illi creuerat dignitas, vt Regiam voluntatem, & Senatus beneuolentiam in manu (vt aiunt) haberet; populi inconſtantiâ nihil in TYLICIO honoribus augendo conſtantius. Vniuerſi enim ex nobilitate, pari animorum conſenſione ſociati, ingrediuntur in curiam: atq; vt vices Cācellarij IOANNIS ZAMOSCII, cuius & quāti viri? ſatis dico apud orbē terrarū ZAMOSCII Cācellarij Epiſcopus Culmēſis TYLICIVS obiret, prolixà meritorum ipſius cōmendatione, & ſummâ dicēdi vi efficiunt. Munus quidem illuſtre in Repub. in cuius tutelâ ſalus & libertas omnium ciuium continetur; at ex ipſis moleſtijs & difficultatibus contextū. Quid ita graue, vt ex eo loco proſpicere, vnde oculis, auribus, ſtudijs ſummorum, mediorum, infimorum ſeruiendum eſt? Ille negotia externa de rebus grauiſſimis cum Pontifice, cum imperatore

tore

tore, cum Regibus, & Principibus maximis inire, tractare, componere, expedire: ille ne aliquam libertatis diminutionem ordo quiſpiam Reip: patiatur, diſpicere: ille Euripum popularis multitudinis in tot affectus identidem aſſurgentem prudentiâ tenere: ille iudiciorum omnium lites, moleſtias, contentiones excipere, concoquere, ſedare: ille literis ſupplicatorijs ad Regiam Maieſtatem aditum facere; & quibuſq; diuerſorum hominum poſtulationibus reſpondere: Dicam breuiter; Vicecancellarius omnibus debet eſſe omnia, & ſingulis ſingularis. Et tamen in illo negotiorum tumultu, nemo aſperiorem eius vultum accuſauit, nemo de aditu difficiliori conqueſtus eſt, nemo acerbius reſponſum accepit, nemo humanitatem, nemo cõſuetudinem, nemo conſilium, nemo deniq; auxiliũ requirebat. Regi ſuo manus, oculus, imò mens fuit, Senatoriæ grauitati inſigne decus, nobilitati certiſſimum perfugium. Iuridicundo, aut cauſarum cognitioni quoties vacauit; nihil illi fuit alienius præcipiti ſententiâ. Cùm enim cor in dextro latere haberet, hoc eſt, vt hiſtoricorũ grauiſſimus vertit, de omnibus bene ſentiret; nonniſi diligen-

 ter pon-

ter ponderatis & examinatis factorum circumstantijs, & rationum momentis: vel ad erigendum, vel ad affligendum quempiam extremo verbo, adducebatur. Videres illam ab antiquis confictam iustitiæ laudatissimam imaginem, cuius caput cælo cōdebatur: reliquum corpus in terrā fuit demersum. Quidni enim dicam in cælo caput fuisse diuini huius viri, qui in consiliorum inquisitione, in sententiarum promulgatione, ipsius Dei præsentissimæ præsentiæ cogitatione mouebatur: & ex solius oculta inspiratione sapientissima proferebat oracula decretorum? Relictus erat in terris dimidius ille homo, quem aliquando varietas perturbationum solet permiscere: in terris (inquam) fuit relictus, hoc est, in vilissimi sui ortus & interitus contemplatione: cumq́; intelligeret omnes istas iucunditatum, honorum illecebras mox abituras, solâ benemeritorum conscientiâ recreabatur. Nec vlla esse potuit tanta largitionis machina, quæ in eo integritatem boni iudicis expugnaret. Qua propter amantissimus bonorum ciuium Princeps, in omnē augendæ dignitatis ipsius occasionem intentus: orbitatem illi Varmiensis Episcopæ commendat,

opulentiſſimam & ſuo ſponſo honoratiſſimam ditionem. Nempe vt reliquam Pruſſiam zizanijs falſarum religionum, aut paleis remiſſiorum Catholicorum, fæliciſſimus ei rei Epiſcopus perpurgaret. Eſſe in viro prudentiam, vt ſciret: bonitatem vt vellet: autoritatem, vt poſſet licentiùs graſſantem audaciam comprimere aut perdomare. Quid ageret, qui ſemel omnibus periculis ſe pro Chriſti hæreditate deuouerat: quiq; benigniſsimo Regi in re tam iuſta non obtemperare, ſceleris loco ducebat? Iuit iterum aduerſus peſtiferæ doctrinæ proſeminatores, nullum ſacrificium gratius Deo ratus tali pietate. Si enim ethnici patriæ conſeruatoribus, aut amplificatoribus certum ac definitum locum in cælo aſsignauerunt: quid nos (inquit) ſperare debemus, qui pro illa cæleſtis patriæ amplificatione, ſub vexillo potentiſsimi & noſtri amantiſsimi Imperatoris dimicamus? Ipſum illud æternitatis præmium, ita virtutis amplitudinem propagauerat, ita acceſsionis gratiæ Dei certum reddiderat, vt crederet, etiam ſedendo irruentes grauiſsimas calamitates ſe poſſe repellere. Neque huiuſmodi ſpe vnquam excidit, qui Reipubl: curam cum Ec-

 cleſiæ

clesiæ studio, tam sapienter attemperauerat: vt cùm huius magnam rationem duceret, illam non negligeret: quantoq́ue dignitas Ecclesiastica omni fulgore sæculari præstantior est, tantò illius quoq; grauiorem duxit habendam esse solicitudinem. Hìc ego non cõmemoro arctiora ieiunia, feruentiorem orationem, longiores vigilias, humilitatem cum magnitudine animi mirabiliter copulatam, susceptam pupillorum curam, sumptus in diuersorum Collegiorum, Academiarum adolescentes, factos, religiosorum hominum charitatem, nouâ quotidie sui Episcopi liberalitate recreatam: & alia innumera beneficentiæ exempla, quibus fælix Varmia suos pascebat oculos, & quorum ille possessionem quasi hæreditariam, vsq; ad extremum vitæ spiritum sibi reseruauerat. Quamobrem Varmiẽses nihil optabant ardentiùs, atq; Tylicianâ prouidẽtiâ cõtineri, illiusq́; iucũdissimo vultu perpetuò recreari. At eã voluptatẽ intercipiebant frequentissima Regni negotia, quibus ille expediendis penes curiam Principis præsens esse debuit. Grauis illi tum cœpit esse Vicecancellariatus: non quòd publici laboris molestiam defugeret; at quia

ſuos aſpiciebat, incredibili ſui deſiderio fatigari: quòdq; timeret multùm, ne in illâ luporum viciniâ ouis aliqua periret, aut inficeretur. Itaq; poſt reductum iterum fæliciter è patrio regno SIGISMVNDVM TERTIVM Dominum noſtrum Clementiſſimum, poſt expeditā grauioribus negotijs Remp. miſſionē petere à curia, fidei Symbolum à Rep. commiſſum, in eiuſdem ſinum reponere inſtituit. Cæterùm inanis hæc fuit cogitatio. Rex enim collecto ex diuturna fideliſſimi comitis conſuetudine affectu maiori, ſtatuit eum in proximis habere: vt ex illius diuite iudicij penu, ſalutaria Reipub. conſilia incurrente neceſſitate depromeret. Fert occaſio Epiſcopatum Vladiſlauienſem, proximam primæ in Regno Poloniæ, & opum copiâ, & honoris ſplendore, & loci authoritate, ſacerdotij dignitatem: illuſtrat bonus Princeps ſuam in virum, & in præclarè de Rep. merentes, voluntatem. Magno quidem iſta conſtabant apud eum, qui hæc nondum penitus ſpreuerat: TYLICIVS ſolâ meritorum ſuorum gratitudine oblectatus, quaſi verò & excellenti bono: paret autoritati Regiæ, obſequitur voluntati Senatus, & reliquum ſanguinem, curis iam & ſolici-

 tudinibus

tudinibus grauissimis ferè congelatum, pro patriæ salute, magnâ cum animi sui testificatione pollicetur. Vnum tantummodò obsecrat, vt sibi liceat iam ex illo loco in maiorem patriam, vbi veriores honores, ampliora q; præmia decernuntur, euolare. Ipsius Ecclesiæ curâ susceptâ, ea primùm aggreditur, quæ fortes Rozrazouij, Tarnauij, & cæteri huiusmodi viri maximis susceptis laboribus attentârunt. Neque ignorabat; pulchrè res magnas ordiri, & impetu quodam ad incrementa contendere, multorum esse: proposita verò ad finem deducere, & sicubi fortuna vel potentum improbitas obstiterit, ratione, iudicio, consilio, animi fortitudine superare, paucorum: nihilominus pro sanctissimis Ecclesiæ legibus, pro inflammatâ in cultum Dei piorum hominum voluntate, ausus est potentissimos aduersarios in certamen prouocare. Quod si diuina sapientia, gloriam hanc non seruasset aliorum laboribus, non eam reliquisset inchoatam. Spectatum verò satis & probatum, quasi statuam tot victorijs nobilissimis honoratam, in altiorem dignitatis gradum erigere decreuerat: vt multò plures haberet suarum ad immortalitatem

conten-

cõtentionum admiratores. Cùm enim Macieiouius Cardinalis, vir animi innocentiâ, grauitate, constantiâ singulari, superato clarissimorum maiorum suorum splendore, in Archiepiscopatum Gnesnensem, hoc est in summam honorum amplitudinis in Polonia gloriam, à diuinarum virtutũ maiestate sublatus ascenderet: de Episcopo Cracouiense vix incidit mẽtio, TYLICIVM omnes cogitant, omnes loquũtur, omnes expetũt: quòd nemo ad illam morum sanctitatem, amorem ciuium, fortitudinẽ senatoriam, zelum pro Ecclesia MACIEIOVII propiùs accederet. Factum ita, cum summa voluptate Regis, qui magis in dies splendenti virtuti sui Episcopi, quotidie maioribus honoribus optabat gratulari. Quid? non satis iam gloriæ vixerat? non iustum pro suis in Rempub: meritis acceperat præmium? non Episcopatus Cuiauiensis satis commodus, aut illustris ad amplificandam Reip: dignitatem? Satis quidem; at quantumuis aliquid amplum sit, id certè parum est, si quid est amplius. Quid verò amplius poterat cogitare animus tam pius, tam gratus: atque illum locum splẽdidissimo suæ dignitatis lumine illustrare, qui adolescentem liberaliter

educa-

educauit, qui Præsbyterum prima ſacerdotij ſplendidioris dignitate ornauit? Obuerſabantur animo illius cum gratiſsima recordatione educatores, atq; doctores ſui in Academia Cracouienſi, domus illæ ſanctiſsimę, in quibus olim altus, educatus, doctus eſt: ſuauis erat memoria illius temporis, cum in Eccleſiam primariam, Diuo STANISLAO Martyre celebrem, ſurculus inſereretur: veniebant in mentem viri admirabiles, quorum ille cōſuetudine iucundiſsimâ in eodem Collegio fruebatur. Quodſi Deo religionem, parentibus pietatem, bene meritis gratiam & memorem animum, iuſtis honoribus, & honeſtis officijs perſoluere boni ciuis eſt: ſi velle ibi cum gratitudine mori, vbi verè natus ſis, in quadam fælicitatis parte numeratur: quanta laus huic viro debetur, qui reliquam ętatem inclinatam non commoditatibus, nō ocio cum dignitate, ſed negotio, ſed labori glorioſo deſtinauit; modò illā voluntatem gratam, atq; ſuæ pietatis ſtudium, in eos quos ita amauit, inſigni aliquo teſtimonio declararet. Accipit ergo Eccleſia Epiſcopū, quē olim dimiſerat Canonicum; ſalutat Academia Cancellarium, cuius iam liberalitatem, & patrocinium

in gra-

in grauiſſimis difficultatibus fideliſſimum agnouerat: nobilitas vniuerſa magno cum ſplendore occurrit Paſtori, atque ſuis humeris, ſuum illum Vicecancellarium infert vrbi, cathedræq́; cum honore imponit. Quid me neceſſe eſt repetere quibus in Epiſcopatu Cracouiẽſi luminibus, quaúe gloriẹ pulchritudine reſplenduit? Vt enim ſol ingreſſus in Leonis ſignum, maximè ſuos radios explicat, caloreq́; vehementiori incendit omnia; ita ille in ſublimiore dignitatis faſtigio poſitus, multò maiores virtutis fructus edere; multoq́; clarioribus factis illuminare cæpit Diœceſim Cracouienſem: ſanè priora illa, quæ incredibilem excitârant omnium admirationem, obſcurabantur. Quanta in comitijs dicendi pro integritate Reipub. libertas! quanta in ſenatu grauitas, imò reuerentia, cùm velut Græcorum Neſtor, aut Romanorum Arpinas, melle dulciorem, & ipſa ſapientiâ ſapientiorem funderet orationem! Non principis maieſtas, non Collegarum amplitudo, non Tribunorum potentia turpe putauit in vnius hominis inclinare ſentẽtiam: quem ſciebat vehemẽter amare bonum commune & ſingulari præſtare iudicio. Eo præſente nullus in ordi-

 nem

nem ſenatorium licentiæ fuit locus, nullus inquietis aut turbulẽtis hominibus aditus: omnium operarum, molitionumq́; occultarũ facultas prçcludebatur. Quid enim tentaret improbitas, vel audacia eo audiente, cuius iudicij ſplẽdor vix oborientes tumultuum nubeculas præuidere, & anteuertere, ciuium procellas aut tempeſtates populares, ſcienter componere didicerat: quiq́; ſui corporis ruinâ conſeruationem Reipub. dignitatisq́; conſularis autoritatem, bene emi credebat. Non illum ab innocentiæ defenſione improbitatis vis, non à iuſtitiæ vindicatione impietatis furor, non ab oppreſſorum leuatione, licentiæ inſolentia reprimebat. Quoties fruſtra infremuit prauitas hæretica, eluſi factioſorum hominũ conatus, præceptç conſilio inſidiæ, compreſſa animi magnitudine audacia? Quamobrem Regi gratiſſimus, ordini ſuo charus, nobilitati bonarum partium ſtudioſæ, vt verus Pater Patriæ, omni veneratione colendus extitit. Iam in Eccleſia Epiſcopus, quâ integritate vitç, morum comitate, prudentià? quàm deniq; auguſtiori virtutum choro emicuerit, quàm artificioſè, quàm iucundè ſumma humanitas cum ſeueritate ſumma

coiuerint? Dicebant multi: non abijsse à Cathedra Cracouiensi Macieiouij facilitatem: multi bonitate illius superati, relictis profligatæ vitæ necessitatibus, ad eum imitandum totos se composuerunt: multi intelligentiæ perspicaciam non audentes prouocare, excubias, & diligentiam acrem timuerunt. Qui enim annus fuit, quo vel ipse vrbem, vicos, oppida, ciuitates non circumiret, vel pietate, & doctrinâ insignes viros mitteret? qui alios suis cohortationibus tenerent in officio, alios consilijs sapientissimis ad propriam vitæ stationem reuocarent? Quid illa fulmina ab Ecclesiæ potestate proiecta? quid gladius ille Petri in media luce hominum districtus agebat, cuius latus aut caput, illa generosæ mentis acies in proiectissima perditissimorum hominum insolentia petebat? pro cuius honore, pro cuius dignitate, religione, aris, focis, tanta dimicabat contentione? Dignus qui ob vultus maiestatem & reuerentiam non illi multorum millium interfectori Iulio; sed suo Patrono ardentissimo iustitiæ propugnatori Diuo Stanislao, aut fortissimo Antistiti Zbigneo conferretur: qui interrito, & constanti animo pedum boni pastoris

gestare sciuerat. Eius iudicio debet augustissimum Cracouien: Ecclesiæ Collegium, hunc ordinē pulcherrimum, hæc propugnacula, & ornamēta virorum: quorum singulos, ob generis, vitæ, sapientiæ lumen; infulà & curru senatorio dignissimos iudicaueris. Ei acceptos refert Diœcesis tot eruditos, graues, modestos Ecclesiarū præpositos, tot sacerdotes pios, & suæ vocationis diligentisimos obseruatores. Petrum suum loquetur ingentis magnitudinis fusa ex argento, & in Ecclesia patronorum Regni collocata Petri Apostoli statua: parietes interiùs & exteriùs, iam picturis, iam peristromatibus preciosissimis exornati, pomeria ex quadrato lapide erecta, basilicæ dotatæ, plenæ fornices, plena altaria, arte laborata, & Salomoneo templo dignisima supellectili, cultu, vestitu, & quæ diuino officio, cum quadam maiestate celebrando sunt accōmodata. Quem affectum in honorem Dei per plures locos testatus est insignibus testimonijs. Nempe vt supremus in aliqua domo paterfamilias abiturus in longinquam regionem, in liberorum, propinquorum, familiæq́; vniuersæ animos infigit profundiorem sui memoriam: ita TYLICIVS magnus

in hac

in hac vrbe, quę est istius Regni præcipua, sacerdos; post tot honorificentissima donaria Principibus, collegis, familiaribus, amicis relicta, ferè in omnibus primarijs Cathedris, tanquam suis cognatis singularia nominis sui monumenta deposuit. Narratur plures certasse vrbes de ortu Homeri, ob ingenij diuini præstantiam: cur non magis verisimile contentiones facturas, in ornanda TYLICII beneficentia præstantissimas Diœceses? Dicet enim Gnezna suum; Posnania suū: Culma, Varmia, quid non facient? Mitto Lenciciam, Præmisliam, & alia illustrium sacerdotum collegia, quæ omnia ostentant pignus amoris TYLICIANI. Quid superbis Koualium templi magnificentiâ, turrium celsitudine, propugnaculorum munitione? quid reditu amplo superbis? opes tui benefactoris iactas? nutricem te potiùs dixeris non coniugem, aut sponsam Tylicianam. Quis explicaret in pupillos & omnis generis pauperes indefessum beneficentiæ studium? Vsitatum fuit singulis annis in eam rem duodecim millia florenorum effundere: nec tamen incurrens necessitas, aut aliorum calamitas, ab illius bonitatis perfugio frustra dimittebatur. Hic con-

diti fuerant ſumptus templorum erigendorum, reficiendorum, vindicandorum; hîc apertum penu religioſorum ferè omniũ, hîc menſa inſtructa pauperum clericorum: vtq; Cimonis liberalitas quemuis Laconem parato obſonio; ſic TYLICII animus ab omni ſorde, & anguſtia alieniſſimus, omnes indigentes certiſſimo auxilio excipiebat. Academici ingenij in petendo verecundiam, cùm ſciret ſuo incommodo eſſe modeſtiorem, prudentiſſimè noſtram neceſſitatem ſolebat anteuertere. Ipſa ruentium auditoriorum fama ſupplicabat ſatis, ipſi parietes Collegiorum inclinati ferendam ſibi opem egregiè perſuadebant. Contubernio pauperum ſtudioſorum antiquæ illi Ithacæ, aſperæ quidem & in ſaxis inopiæ pendenti, viris tamen non infæcundæ; ille, vt ex vaſtiſſimis ruderibus quàm primùm aſſurgeret, promptam & fortem manum porrexit, vitamque ſuæ olim altrici chariſſimæ, à qua vitam acceperat, magno cum fænore reddidit. Quodſi parem voluntatis memoris ſignificationem plures eiuſdem domus antiqui alumni imitarentur, qui hodie & in Eccleſia, & in Regno pulchrè ſplendent: iam diu paupertatis ingratum iſti ſæculo

nomen

nomen amisisset. Vnus TYLICIVS post Annæ Iagelloniæ Diuæ Polonorum Reginæ propriam sanctissimis Iagellonibus in suam Academiam, omniq; sæculorum memoria prædicandam liberalitatem, testatus est posteritati, quo animi affectu fuerit in suum illud vetus hospitium, in quod fæliciter diuerterat: vt hæc, quibus tam bene profuerat omnibus, præsidia mercaretur? Nam & viuus nullam propagandi sui nominis dimittebat occasionem; & mortuus, ne quis à se desideraret grati animi monumentum, honestissimi eiusque perpetui effecit census donatione. Quæ autem de ipsa Academia cogitatio? quod consilium? huc omnes opes antiquæ & recentes, hûc omnis industria directa: vt quod magni Radiuili, Macieiouij, Rozrazouij pulchrè cogitauerant, ille fæliciter, ac gloriosè exequeretur. Istis auribus hausimus & arripuimus illud pondus verborum in aliquo adamante ad immortalitatem sculpendum: VELLEM CHARISSIMAM MATREM MEAM ACADEMIAM CRACOVIENSEM, GALLIARVM, HISPANIARVM, ITALORVM ACADEMIIS, & SI QVID EST APVD EXOTICOS IN SAPIENTIA SPLENDIDVM, PAREM FACERE: VT

CIVES

CIVES MEI DOMI HABERENT, QVOD TANTO SVMPTV, TAM FREQVENTI VITÆ PERICVLO FORIS EMVNT. O propriam Epiſcopi curam! O ſeriam boni Senatoris cogitationem! O ciuis patriæ amantiſſimi ſanctiſſimam pietatem! O natam, aut potiùs cœlo demiſſam Academiæ fortunam! Vtinam ingredientem ad nos diuini luminis radium, ſubitò exoriens turbo non auertiſſet. Heu quantum regno huic ornamentum abijt. Succeſſerê mox grauiſſimarum tempeſtatum procellæ ab illis portentis & funeribus patriæ concitatæ, quæ in fortunas, patrimonia publica, priuata, in lachrimas deniq; & ſanguinem pauperum, ſceleratiſſimâ ſe obſtrinxerant religione, cum ſumma generis Poloniæ labe & ignominia. Neque licuit perturbatâ Repub. illoq́; ſtrepitu, & ſuſpicione periculoſiſſimi tumultus dominãte, de pacis alumnis quicquam ſtatuere. Sedatis aliquantùm fluctibus, reſpirante ciuitate: veritus ne iterum aliqua temporum iniquitas vel partem aliquam ſuarum cogitationum diſsiparet: profert hoc poſt Academiam conditam vnum ſingulare omniq́; ætati alendum beneficium. Cuius ego laudator deſignatus, cupe-

rem

rem ita contentâ voce proclamare, vt exaudirer ab omnibus clarissimi huius imperij prouincijs: aut ita diuiti orationis copiâ affluere, vt illius maiestatis & magnitudinis vel extrema attingerem. Emittendus hìc esset beatissimus aliquis eloquentiæ fluuius; vt viri tanti altissima æternitatis spacia contemplantem animũ pari exęquaret plenitudine. Quæ enim cogitari potest illustrior beneficij amplitudo, atq; ea donare: quæ cùm omnium seruiant vtilitati: nunquam tamen à suis possessoribus auferuntur. Facilè perditur pecunia, deflorescunt honores, excidunt consilia, dissuuntur amicitiæ: sola virtus, sapientia, & eorum vsus, firma, stabiliaq́; censentur. Perierit ergo pecunia, quam ille frequentissimè in vsum Reip. tum Regi suo, tum bellatoribus fortissimis offerebat promptissimus: at memoriam præclari nominis sempiternam nulla ętas est abolitura. Quanquam illam pecuniã nemo existimat perijsse, quæ pauperum manibus, afflictorum suspirijs in cõspectum Dei sublata est: quâ pasti, vestiti, recreati, vel potiùs pastus, vestitus, recreatus est in eis Christus. Cæterùm videte, quanto veri honoris desiderio flagrauerit, quamq́; sapienter accenderit quem-

que generosum, virorum summorum imitandi studio. Ardebat ipse cupiditate incredibili, relinquendi vitæ in Repub. laudabiliter actæ testimonium: non ignarus, clarorum virorum ocij, & negocij rationem extare debere. Vidit quàm facilè abeat hæc ex quibusque splendidissimis meritis comparata gloria: quamuis enim non effugiat illius oculum, & pondus, qui ex altissimo cœli vertice omnia nostra perspicit: alios tamen ad aggrediendam similia non exstimulat. Quid ille egit? Sum (inquit) Episcopus, sum & Senator: in opibus honestissimis per diuinam clementiam, & Reipub. voluntatem constitutus: vtriq; gratia est referenda. Et cùm charitate & misericordiâ nihil esse prius debeat sacerdoti; habeat Nosocomium Cracouiēse nouem millia: vt viri pij, & religiosi, etiam me hinc abeunte oleum misericordiæ nunquam deficiens in ægrotorum calamitatem infundant. Pulcherrimum sanè gloriæ solidæ principium in perpetuo benefaciendi desiderio extructum: digna principe, digna sacerdote deliberatio: velle viuens, & moriens non in propinquorum dignitatem, non in superbos luxus, aut vanissimorum monumentorum admirationem:

tionem: ſed in miſeros, afflictos, vexatos, voluntatem teſtari propenſiſſimam. Iam verò ſenatori proſpiciendum eſt de futuro Reipub. ſtatu, quem cupio eſſe ſemper florentiſſimum: non enim verè amat, qui non ſemper amat. Quoniam verò conſtat, conſilio, ſapientiâ, rerum maximarum tractatione, boniſq́; artibus res admirabiles in vrbibus geri; his præſidijs diligenter inſtructam eſſe vellem hanc ſobolem & hanc generoſam noſtrorum ciuium ſegetem. Quippe optimarum diſciplinarum cultus, & ſapientiæ ſtudium vbi floruerit, opes, honores, virtutes, omnem deniq; fælicitatem ibi florere neceſſe eſt: is mihi ad honorum gradus erat aditus, eundem puto iuuentuti noſtræ aptiſſimum. Cracouiẽſes præceptores primùm timore Dei me imbuerunt, mores compoſuerunt, exemplis, & admonitionibus efficaciſſimis ad omnem me honeſtatem excitàrunt. Neq; me pænituit vnquam huc deflexiſſe, & Grebſciorum, Mareniorum, Gorſciorum, aliorumq́; inſignium profeſſorum lateri adhæſiſſe: nam & miles in acie, & ſacerdos in Eccleſia, & Conſul in ſenatu, eas literas, quæ ad humanitatem informare ſolent, in omnem vitæ meæ vſum traxi.

Non ego puto audiendos, qui nobilem hanc disciplinam, vel puerilem, vel inanem, aut insidiatricem vocitant. Adolescentum quidem sunt præcepta, vsus autem virorum, eorumque præstantissimorum proprius: neq; in perniciem alterius dicere, est rectè dicere. At si quid est in me iudicij, fidelissimam hanc voco Ecclesiæ administram, Reipub. reginam, scientiarum omnium ornamentum: hac libertatem nutriri, dignitatem nostræ gentis illustrari vehementer optarem. Ecce & quantùm possum, post abeuntem calamitosi temporis asperitatem, iuuo: insero nouum in Academia Cracouiensi surculum, emo decem millibus professorem Eloquentiæ, qui mea voce loquatur ad iuuentutem, quiq; nouas quotidie submittat copias Ecclesiæ & ciuitati: ipse dum adhuc languentem spiritum traho, suauissimæ parenti hoc offero, vt sit veluti perpetuum meæ in illam pietatis & obseruantiæ documentum: accipite, tollite, & vt quamprimùm hunc meum doctorem audiam, efficite. Quis hîc vel non stupet præ munificentiâ, vel præ ingenti lætitiâ non soluitur in lachrymas? Solusné fuisti optime TYLICI in ea dignitatis altitudine collo-

catus,

catus, qui vbera huius matris ſuxeras? ſolus boni Academici promotorem in illuſtri fortuna te memineras? Quid? non ſuffecêre tot labores ſuſcepti, tot curæ ſuperatæ, tot factæ contentiones, tot ſumptus effuſi pro integritate & ornamentis Academiæ conſeruandis: quorum minimum periculum maximo tuo periculo auertere paratus fuiſti? Date veniam Iuriſperitorum conſultiſſimi, & tu, ex cuius hi bibunt fonte ad vitam formandam inſtituta, Philoſophia: ſi dixero TYLICIVM viciſſe pietate, beneficia parentis. Nam ſi Reges magnos ſummâ colimus veneratione, quòd ab ijs vitæ iſtius honeſtioris ratio, fortunæq́ue nobis aliquæ venerint: ſi principum in Repub. virorum gratiam ſeruamus in mente, quorum beneficio & hæc tenemus, & cæteris aucti ſumus: ſi ex nobilitate illuſtrium virorum gratam erga maiores noſtros voluntatem in quibuſdam monimentis ſplendidioribus admiramur: ſi eorum denique autoritatem vreueremur, quorum iudiciis & auſpiciis in hac vrbe ampliſſima, & in hac Poloniæ luce collocati ſumus: immenſum quiddam eſt, quod TYLICIO debemus, cuius prouidētiâ & ſapientiâ, hęc omnia re-

 cupe-

recuperauimus, & alia illuſtriora accepimus. Hoc nimirum ſpecimen, hoc indicium animi, hoc lumen ſui Cancellariatus eſſe putauit, Cracouienſis Epiſcopus TYLICIVS: ſi Academiæ multò maiora, quàm acceperat reddidiſſet. Cōdatur hoc iam cum ſarcophago, ACADEMIÆ SE QVIDQVID ESSET DEBERE: hoc verò viuat & regnet, in omnibus ſtatuis, tabulis, imaginibus, ſcribatur, notetur, exprimatur: TYLICIVM EPISCOPVM CRACOVIENSEM FVISSE SEMPER PATRONVM, CONSERVATOREM, PROTECTOREM, AMPLIFICATOREM DIGNITATIS ACADEMICÆ. Satin' fuiſſe? etiam fore perpetuum. Tanti enim æſtimamus vel hoc vnum inſtaurati eloquentiæ ſtudij beneficium, vt per illud ſolum immortalitatem quandam conſecuta videatur. Videre iam videor viros patientiâ animi & corporis confirmatos, ingenij, & doctrinæ opibus inſtructos, qui laudatiſſimorum ſuorum progenitorum, & ſuam ipſorum matrem optimis ſtudijs, & honeſtiſſimis moribus commendabunt, & ad priſtinum ſplendorem honoris, famæ, dignitatis in foro, Senatu, Comitijs, omni denique loco vindica-

dica-

dicabunt: atque vbi in ſubſellia maiorum ſuorum, in loca honoratiſſima, magnis virtutibus ſubnixi aſcenderint, gratiâ & beneuolentiâ fouebunt, teſtimonijs ampliſſimis ornabunt, & ijs demum, qui ex ſe naſcentur, cum ſanguine ſtatim amorem ſuæ educatricis tranſmittent. Atq; ſic diuina ſapientia TYLICII cum magno coniuncta animo, perpetuâ ſæculorum ſerie celebrabitur, nobiſcum verſabitur: illam Deo fauente in iudicijs perſonantem, in Academia frequentibus auditoribus concionantem: illam pro innocentiâ pugnare, de communi bono diſſerere, voce paſtorum peſtifera religionis monſtra territare, virtutes inſerere, vitia extirpare, in ciuium conſuetudine vigere, amicitias colligere: illam denique in multorum vocibus, linguis, ſermonibus, animis, actionibus, cum immortali ſui conditoris gloria, viuere aſpiciemus, audiemus, mirabimur. Nec mirùm immortalem illius fore vitam, quæ à tanto animi ſplendore nata eſt. Quis enim ita mentis cogitatione penetrauit maximam huius noſtræ Reipub. neceſſitatem? quis tam prudenter imitatus eſt ingenium gentis Polonorum? Libertate illa à multo tempore gloriatur;

natur; eius studij cultum induxit TYLICIVS, quâ excitari, augeri, conseruari, splendere libertas potuit. Hæc enim vna è maximis disciplinis est, posse dicendo tenere hominum cætus, mentes allicere, voluntates quò velis impellere, vnde velis deducere: hæc, inquam, vna in omni libero populo, maximeq; in pacatis tranquillisque ciuitatibus præcipuè semper floruit, semperque dominata est. In nostra verò patria, quid ita vtile aut splendidum, vbi legum æqualitas vniuscuiusque virtuti campum aperit ad summos honorum gradus consequēdos? Vt enim inter homines eiusdem naturæ, præstantiorem esse oportet, quem maiori reuerentiâ dignum iudicamus: sic in nobilitate paris ordinis & libertatis, multò excellentioris esse creditur, cui in clarâ hominum luce, honoris præstantia fuerit attributa. At quo ita dignitatis tuæ splendor, Regis illustriumq; virorum iudicia feriet; si nō eloquentiæ dicendiq; facultate? cuius propriæ sunt artes, fidem & existimationem conciliare, in Regum sapientissimorum beneuolentiam interioremq; consuetudinem influere, quoque fueris in orationis apparatu copiosior, eò & gerendis maximis dignita-

tibus

tibus aptior. Tanta enim eſt admiratio copioſè, ſapienterq́ue dicentis; quem qui audiat. intelligere etiam, & ſapere plus quàm cæteros arbitratur; neque vllum exiſtimat honorem eſſe tantum, quo ille veluti cælitùs in ſalutem hominũ demiſſus pro dignitate poſſit exornari. Quid enim eſt tam admirabile (vt inquit orator) aut tam iucundũ, quàm ſapientibus ſententijs, grauibuſq́; verbis ornata, atque polita oratio? quid tam potens tamq́; magnificum, quàm populi motus, iudicum religiones, Senatus grauitatem, vnius oratione conuerti? quid denique adeò regium, aut liberale; quàm opem ferre ſupplicibus, excitare afflictos, dare ſalutem, liberare periculis? Huius præſtantiæ viri, quoties apud nos enituerunt, qui vehementiori dicendi vi ſeditioſorum hominum impetus, aut conatus reprimere, qui authoritate, qui fide, qui iuſtitiâ, magnitudine animi, conſilijs multitudinem tenere potuerunt: ij graues, ij principes, ij duces, ij autores omnis dignitatis atq; imperij habiti ſunt. Numeremus Orichouios, Herburtos, Karncouios, Myſcouios, Patricios, Solicouios, Macieiouios, Melecios, Zamoſcios, & cæteros viros clariſſimos, quo-

rum diuinà oratio non contenta finibus patriis, etiam in clarissimis exterorum regionibus regnat, in magnamq; opinionem excellētiæ regnum hoc florentissimum vindicat. Nempe liberorum hæc fuit semper propria possessio: in oppressis à seruitute ingenijs, nunquam suum lumen ostendit. Si quæ enim scintilla generosioris animi, si quod honestioris istius disciplinæ signum se prodidit; simul aspectum & extinctum vel obscuratum fuit. Sublato enim virtuti ad gloriam stimulo: crescere ad gloriam vbertas orationis non potest. Quorsum prodest disertum, aut eloquentem esse, si quod sentias, liberè, & cum dignitate, non licet eloqui. Nostris verò ciuibus, cùm simul cum libertatis studio, innascatur ad cultiorem doctrinam quædam amabilis propensio: eaque sit Reipub: forma; vt cuiq; ex actionibus honestis liceat celebritatem nominis colligere: hunc ingenuum, hunc indole præditum, hunc suorum claritate non indignum conclamant omnes, qui in familiari sermone, venustum, & ingeniosum quid ex antiquitatis notitia deprompserit: cuius docta ratio & admirabilis oratio in frequentioribus conuentibus autoritatem sibi fecerit.



rit.

rit. Adhucné dubitamus TYLICIANVM hoc ad posteritatem monumentum, à magno sapientissimi & amantissimi patriæ ciuis animo conditum esse? Nam si non murus, arces, propugnacula, vrbium aut Rerumpublicarum nomina tenent, verùm ipsi ciues viri fortissimi: cogitate quanta mentis altitudo, quam præclara in patriam voluntas prodijt huius viri, qui ne aliquando hæc materia commoda ciuitati nostræ deesset, tantâ curâ & prouidentiâ prouidit. Neque enim Grammaticæ, Dialecticæ aut Rhetoricæ præceptis ( vt nonnulli faciunt ) concludi existimauit perfectionem eloquentiæ; sed cum magno semper Oratore sensit: Nostra ( inquiens ) est omnis ista doctrinæ prudentiæque professio, in quam homines quasi vacuam abundantes ocio, nobis occupatis inuolauerunt. Rhetorum est officium de iustitia, de ciuitatibus instituendis & regendis, de omni viuendi ratione, deniq; de abditissimis etiam naturæ causis differere. Quò magis miror, potuisse venire in mentem summis quibusdam nostro sæculo ingenijs, literas humanitatis præparare solummodo ad maiores disciplinas: in his enim ars illa continetur, quæ eru-

 dito,

dito, ingenuo, & eo, qui in Repub: vellit excellere digna est: quæq; rerum omnium, quæcunq; in vitam cadere possunt, præceptionem & vsum habet. Ideo ridiculi sunt multùm, qui studium humanitatis se iam percurrisse & confecisse inconsideratè loquuntur. Scilicet versiculum concinnè, aut epistolam non ineleganter, vel oratiunculam cum aliquo apparatu scribere aut proferre: est vel mediocriter diserti. Erras nimiùm; nisi Poëtas quosque præstantissimos, oratores grauissimos, historicos disertissimos pellegeris: & nisi scribere aut dicere, quotidie maius esse tuis humeris iudicaueris. Quò enim quis magis in hoc studio proficit, eò scribendi & dicendi labor grauior esse videtur. Nempe vt excellentes pictores, qui soli bene iudicant, in quo sita sit imaginum perfectio, maiori quiete, diuturniori meditatione, pertinaciori labore opus habent: sic qui orationis illud decorum optimè tenent, tantò magis & in dicendo exalbescunt, & in exercitationis studio, cogitatione se fatigant. Scribendi enim rectè non principium, & fons (vt quidam dixit) sed argumentum est consummatæ sapientiæ. Quàm cuperem multis parentibus

cum

eum errorem eripere, qui leuem triuij congnitionem, in magna satis eruditionis opinione numerant. Nonné vestræ sunt partes, ô viri nobiles, in Republica de rebus maximis cum dignitate deliberare? non vobis incumbit leges ferre, latas conseruare? de bello, de pace decernere, legationes gloriosas obire? & hoc ex leuissimis Grammaticorum præceptiunculis haurietis? audite iudiciũ huius magni Episcopi, intueamini exemplum. Bono Ciui (dicebat ille) quandoquidem in luce elegantiorum hominum versatur, quæcunque in vitam veniunt, quæsita, audita, lecta, disputata, tractata esse debent. Præiuit exemplo: vidimus enim in illum ornandum omnes præclaras scientias, omnes istas literas ciuiles conspirauisse: quid ille in Cicerone non vidit? quid in Demosthene non legit? quid in Plutarcho, Xenophonte, Liuio, Tacito, quid in vtroque Seneca, & alijs quibusq; lectissimis autoribus non annotauit, memoriȩ non consignauit, vsu non confirmauit? Omninò omnia eum legisse oportebat, qui aliquando iucundissimos cũ eo sermones de bonis literis facere voluit. Ecce qui omnium vestrûm filios, vt proprios amauit pro-

 uit pro-

uit propter Remp: videte quibus ſtudijs, artibus, exercitijs inſtructos cupiat ad honores gerendos accedere. Fatebitur iam non nemo; præclarè de Repub: meritum hac ſapienti liberalitate optimum hunc Senatorem: at fortè è medijs Academiæ ſpacijs prorumpit nouus aliquis diſputator, de Repub: inquiens, concedo: at de Academia, vbi non tantus eſt vſus veſtræ iſtius delicatæ orationis, nego. Nouam petis arenam, vir bone; ſed ego ex eodem theatro rem expedio: neq; enim litem ex litibus ſeparere conuenit eum, qui ſtudia ſanandorum & pacandorum animorum profitetur. Eſto, vt dicis: Si te Academicum ex illa veterum, aut recentiorum Academia prodis: ſi Scholæ huius inclitæ ciuem te eſſe iactas, mecum te oportet ſentire. Nonne ſanctiſſimi Reges ad Rempublicam iuuandam & amplificandam nos acciuerunt? nonne poliendos, formandos, & vndiquaque ornandos nouos iſtos ciues nobis commiſerunt? Si ita eſt, vt dubitare non potes, profectò indecorum erit noſtris ſolùmmodo literulis, aut commoditatibus indulgere: communis boni, quod noſtræ fidei, autoritas Pontificum, & Regum benignitas, Senato-

rum

rum amplitudo credidit, obliuisci. Imò si sapimus, liberalitate TYLICII orbis Academici dignitatem illustriorem factam esse confitebimur. Cuius enim scientiæ, non singulare quoddam ornamentum adijcit eloquentia? Philosophia tum demùm regnare, libertateq; suâ frui dicitur; vbi detersâ barbarie, sublatâ obscuritate, in generosas discentium animas, simul cum quadam facilitatis voluptate influxerit: nihil enim præclaro isti Dei immortalis dono, tam inimicum, vt sordida, & lutulenta oratio. Vultures quidem fœtoribus delectantur, odorem fugiunt; at auium nobiliores, elegantissima & fragrantissima quæq; pabula petunt. Fortè legum periti istas verborum quisquilias recipient? minimè vero: hi enim vt sunt magno & excelso animo, turpe putant cultu dictionis neglecto, splendorem vitæ politicum appetere. At saltem Theologi hanc loquendi solicitam curam contemnent, quorum est maximè; res serias tractare, vt quæ æternitatis momentum respiciunt? Sed neq; hæc nobilissima facultas sui argumenti maiestatem, vult fœculentâ sermonis immunditie contaminare: imò cùm suū esse munus iudicet pro religione pugnare,

gnare,

gnare, ad virtutes cohortari, à vitiis absterrere, rerum vbertate, orationis copiâ, tenendorum animorum peritiâ, eloquentiæ denique ministerio, vitam decusq; suum omne creuisse libenter confitetur. Video adhuc scholasticorum subtilitatem quosdam obtrudere, quasi solâ contemplationis pulchritudine contenti, nostram hanc dicendi artem nihili faciant. Hospes es in antiquitatis cognitione, si ignoras scholasticorum præstantiam ex Rhetorum officinis prodijsse: quære ex Tacito, consule Senecam, audi Plinium, & quem ego instar multorum pono Hieronymum, horisontem illum Ethnicæ & sacræ disciplinæ; is te proculdubio docebit: disertissimum quemque ob ingenij elegantiam & vberioris doctrinæ laudem, appellatum fuisse Scholasticum. Dicent & alij: Scholasticè dicere nihil esse, quàm rem aliquam oratoriâ methodo explicare. Qui ergo sit splendor cuiusque scientiæ, detractâ dicendi facultate, vides: Aristotele nemo doctior, nemo acutior, nemo in rebus vel inueniendis, vel iudicandis acrior extitit; hic tamen omnium ætatum consensu, omnium eruditorum autoritate, aureus eloquentiæ fluuius,

uius, ſummo ingenio, ſcientiâ, copiâ fuiſſe perhibetur. Plato Philoſophorum quoque Princeps, princeps ingenio, princeps occultiſſimarum artium cognitione, idem ſimul grauitate dicendi, & in rebus ciuilibus prudenter ſapiendi princeps: cuius neruos, copiam, ſplendorem, expreſſit præſtantiſſimus apud Græcos orator, diſcipulus illius Demoſthenes. In iure ciuili, ſi quis diligentiùs contempletur Iuſtinianos, Trebonianos, Theophilos, Papyrios, & illam frequentiſſimam excellentiſſimorum virorum coronam, ibi primùm crediderit ortam fuiſſe orationis dignitatem, ibi educatum & conſummatum; quidquid in hoc noſtræ dictionis cultu ſplendet pulcherrimũ. Quemcunq; enim horum acceperis, in dubio eſt animus, elegantiſſimusné an eloquentiſſimus ſit iudicandus. Ipſi illi, qui omnia voluptatum lenocinia vt ſtercora conculcant, omnemq́ue iſtum exteriorem corporis ornatum abijciunt, ita in omni dicendi genere regnant, vt quiduis potiùs eis, quàm ſermonum aut excultæ orationis gloriam eripueris. Quis purior Gregorio? quis Auguſtino acrior? quis Baſilio ingenioſior? quis denique illo rege Oratorum,

quotquot erunt aut fuerunt, ſcientior, vehementi-
or, admirabilior; illo (inquam) Ioanne Antioche-
no, verè apud omne ſæculum appellato Chryſoſto-
mo? Viderunt hoc noſtræ ætatis eruditi, & quaſi
puderet paternarum ſordium, totos ſe ad vindican-
dam orationis dignitatem conuerterũt. Habemus
illorum beneficio, non illam modò de moribus,
ſed hanc quoque admirabilium cauſarum veteri
ſplendori reſtitutam Philoſophiam. Inde Contare-
ni, Vicomercati, Scaligeri, Fonſecæ prodierunt:
inde in iudiciorum ſubſellijs, imperatorum palati-
is, ſcholarum exedris, Alciati, Cuiatij, Giphanii,
Mureti apparuerunt: denique Soti, Baneſij, Bellar-
mini, Suareſij, & eiuſdem ordinis alij viri diuini,
quorum pietatem & ſapientiam vterque orbis ter-
rarum admiratur. Quis ergo ibit inficias, hoc ar-
tium humaniorum æquor, vltra Orientis & Occi-
dentis terminos, vltra ipſius cœli plagas imperi-
um extendiſſe; ſi res illæ cœleſtes à natura & gra-
tia mirificè conditæ, in quibus cognoſcendis ipſa
cognitionis acies hebetatur, tantâ cum facilitate &
grauitate explicantur? Eant igitur qui ampliſſi-
mis Regnis, aut maximis imperijs erectis, in pote-
ſtatem

ſtatem redactis, aut expugnatis, gloriantur; ſi fruſtra erigas, conſtituas, aut potentiâ tuâ perdomes ferocem populum, niſi ab eloquentiæ ſtudio, fidem colere, iuſtitiam retinere, alijs æquo animo parere, labores pro communi vtilitate ſuſcipere, pro gloria publica dimicare, dulce ac decorum didicerint. Quorum bonorum præſtantia, cùm autori TYLICIO ſit referenda, cur non congratulamur ſummæ ipſius virtuti, quæ iam tulit, & fert quotidie meritorum ſuorum fructus ampliſſimos? cur non inter ſummos viros imaginem illius collocamus, patrem patriæ ſcribimus? cur denique illuſtrium Epiſcoporum gloriam, quæ maximè ſuâ putat intereſſe; Academiam pulcherrimis diſciplinis reddere florentiſſimam, non appellabimus? Tu verò maximè generoſiſſima Polonorum ſoboles, in venerationem tanti benefici totam te effundere, tota in admiratione maximarum virtutum conſiſtere debes. Omnes enim vitæ gradus, omnes actionum laudatiſſimarum curſus, vt aliorum præſtantiſſimorum virorum; ita huius optimi Senatoris, tua ſunt propria exempla, tuæque conſecrata imitationi; vt ex his corporum & animorum di-

gnitatibus, edas aliquando boni ciuis pulchrè ſur-
gentem imaginem: quæ poſt glorioſos in terris la-
bores, rectiſſimâ in cœlum viâ aſcendat, atque ſuo-
rum factorum iuſtiſſimo præmio iucundiſſimè
perfruatur. Quæris quæ ſit iſta? Tenere animum
in officio, ne rem diuinam corpori tuo incluſam,
vbi vbi es aliquâ vitiorum labe conſpergas: putare
te in conſpectu ſupremi iudicis ſemper eſſe, qui ali-
quando facturus eſt tecum ſtrictiſſimam de ſingu-
lis factorum tuorum momentis rationem: literas
diligentiùs colere, & orationi poliendæ, hiſtoriæ
cognoſcendæ vacare: ſapientum de moribus præ-
cepta in vita oſtendere: poſt honorem Dei ad di-
gnitatem referre omnia: illum demum cogitare
eſſe rectiſſimum Politiæ vſum, qui diuinæ rationi
maximè fuerit conſentaneus. En ad eam rem penes
me arma, & præſidia ponuntur: autoritas eſt eo-
rum, qui hoc iucundiſſimo aſpectu te recreârunt.
Neque arroganter de me quidquam dictum velim:
non enim exiſtimaui vnquam in pectore meo tan-
tùm literarum, virtutis, exemplorum ſitum eſſe,
vt tuæ neceſſitati ſufficeret: illorum fidei factæ
confido, qui mihi ſponſionem affuturæ gratiæ

diuinæ fecerunt. Enimuero licèt ego tantorum donorum ſim indignus; digna tamen erit iſta animorum tuorum indoles, per quam plurima quæque & maxima Dei beneficia in Eccleſiam & in Rempublicam, quorum vtilitati & ornamento creſcis, inferantur: digna & magnanimi TYLICII in patriam, & in Academiam voluntas, quam Deus Optimus reſpiciat, & maioribus in dies acceſſionibus pro ſui nominis honore amplificet in omnem poſteritatis æternitatem.

DIXI.